

1.7.4

Impp. Theodosius et Valentinianus A A. Basso pp.

Apostatarum sacrilegum nomen singulorum vox continuae accusationis incesset et nullis finita temporibus huiuscemodi criminis arceatur indago.

1 ¶ Quibus quamvis praeterita interdicta sufficiant, tamen etiam illud iteramus, ne, postquam a fide deviaverint, testandi aut donandi quippiam habeant facultatem.

sed nec venditionis specie facere legi fraudem sinantur, totumque ab intestato Christianitatem sectantibus propinquis potissimum deferatur.

2 ¶ In tantum autem contra huiuscemodi sacrilegia perpetuari volumus actionem, ut universis ab intestato venientibus etiam post mortem peccantis absolutam vocem insimulationis congruae non negemus: nec illud patiemur obstare, si nihil in contestatione profano dicatur vivente perductum.

3 ¶ Sed ne huius interpretatio criminis latius incerto vagetur errore, eos praesentibus insectamur oraculis, qui nomine Christianitatis induti sacrificia vel fecerint vel facienda mandaverint: quorum etiam post mortem comprobata perfidia hac ratione plectenda est, ut donationibus testamentisque rescissis ii, quibus hoc defert legitima successio, huiusmodi personarum hereditate potiantur.

D. VII id. April. Ravennae Theodosio A. XII et Valentiniano C. II cons. [a. 426]

1.7.5

Impp. Theodosius et Valentinianus AA. Florentio pp.

Eum, quicumque servum seu ingenuum, invitum vel suasionem plectenda, ex cultu Christianae religionis in nefandam sectam ritumve traduxerit, cum dispendio fortunarum capite puniendum censemus.

D. prid. k. Febr. Constantinopoli Theodosio A. XVI et Fausto cons. [a. 438]

1.7.6

Impp. Valentinianus et Marcianus AA. Palladio pp.

Eos, qui catholicarum ecclesiarum clerici vel orthodoxae fidei monachi relicto vero orthodoxae religionis cultu Apollinaris vel Eutychetis haeresim et dogmata abominanda sectati sunt, omnibus poenis, quae prioribus legibus adversus haereticos constitutae sunt, iubemus teneri et extra ipsum quoque Romani imperii solum repelli, sicut de Manichaeis praecedentium legum statuta sanxerunt.

D. k. Aug. Constantinopoli Valentiniano A. VIII et Anthemio cons. [a. 455]